

www.e-rara.ch

**Monumentum instaurati patrum memoria per Helvetiam Regni Christi,
et renascentis evangelii**

Ökolampadius, Johannes

Basileae, [1592]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4644>

Eiusdem Ioannis Oecolampadii vita per Wolfgangum Capitonem

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EIVSDEM IOANNIS
OECOLAMPADII VITA
PER VVOLFANGV M
Capitonem.

CHRISTIANO LECTORI
salutem.



COGNITIONEM & sensum Domini nostri Iesu Christi regnantis in gloria, tibi precor amice & pie Lector. Quem viuendi finem, selectissimum Christi organum, mihiq̄e frater coniunctissimus IOANNES OECOLAMPADIVS fecit, fide summa, elegantiaq̄e & doctrina pari, peritiss. eruditè pieq̄; & sentiendi & dicendi artifex Simon Grynæus noster, Epistola ad me expressit, quam huic nostræ præmisimus. Quæ eadem duo senatores Basilienses, viri admodum graues, inter alia multa hîc retulêre: sed adpersa tot sanctis adfectibus, verbaq̄; & gestus eius ita exprimentes, vt mihi viderer ab ore moribundi præsens oculis atque auribus haurire omnia: qui quidem vnà cum fratribus symmystis quântum publica permiserunt, assidui intererant, maximè dum valerudo viri ad extremum vitæ exitum deuerneret. Totum verò in hoc fuisse aiunt per omnes dies ægrota- tionis, vt sinceram fidei doctrinam, concordiam, dilectionem mutuam, & accuratam Ecclesiarum curâ fratribus commendaret. Quæ illum, sicut per omnẽ vitam intentum, sic in grauescente morbo, hoc intentionem tenebat, quo videbat emigrandi hinc ad Patrem horam certius imminere: vel eo maximè, quod
haud

DE VIT. ET OB. OEC. PER VVOL. CAP.

haud obscurum esset, quàm acrem impressionem in gregem Christi, & inermem & præsidio veri pastoris destitutum, post discessum suum hostis facturum esset. Neque dubito quin illius precibus adscribere liceat, quòd vita hac ipso perfuncto, tam sæua tempestate rectum tenere clauum successor potuerit: luxataque corporis Ecclesiastici membra, vt aliquot annis sub ipso cœperant coalescere, consolidarique nihilo secius pergant. Magna sanè gratia habenda doctissimo simul atque pientissimo Grynæo, quod tam eleganti compendio, viri exitum ob oculos spectandum proposuerit. Ex qua imagine, quo pacto fatalis illa hora excipienda tibi, facile colliges. Nec minoris exempli omnis peracta vita eius: cuius tamen describendæ prouinciam, vt vides, mihi Grynæus delegauit, sarcinam profectò his viribus longè maiorem, præsertim hac ætate ingrauescente, & huic ingenio, si quod fuerit, annis & morbis diutinis, atque ad eò diuersissimis periculosissimisque occupationibus iam iam lassescenti atque imminuto. Atqui nephas esse ducam oportet, si non finam Christi gloriam in illo sanctissimo eius instrumento, tum candide Lector quisquis es, desiderium tuum ex pietate natum, tum denique Grynæi illius pietate & eruditione summa iuxta pollentis obtestationem, apud me tantum valere, vt summam quod ille scribit, atque ad eò paucis, quæ habeo de vita huius compertissima perstrinxeroduntaxat. Rem enim ipsam & veritatem, non dictionis ornatum, à me expectes, illamque ipsam, vt bonis omnibus in oculis est, ne fidem abdita conuertentis in dubium voces. Quare quis cursus vitæ ad metam,

DE VITA ET OBITU OECOL.

quod aiunt, ab ipsis carceribus viro continuatus, vt compendio habeas, paucis accipe. Natus est anno 82. supra millesimum quadringentesimum, in oppidulo Cheruscorum Vvinsperga, parentibus vt illic viuitur, abundè diuitibus, matre autem honestioris religiosæque vitæ nomine, celebriore. Quæ sanè præter summam in iuuandis pauperibus curam, ingenij quoque laudem inter notos tulit. Cumque hunc vnum ex liberis suis superstitem Deus voluisset, literis & religione propè lactantem imbuerunt. Adultiorem destinabat pater mercaturæ exercendæ, mater impetrauit vt plusculum temporis & sumptus concederetur literis addiscendis. Eiusmodi ingenij specimen in rudimentis literarum capiendis admodum puer dedit, vt omnibus esset miraculo. Maturè enim ad id eum formare cœpit Dominus, in quo opera eius erat vsurus. Atque ad eò parens, siue precibus vxoris, siue filioli indole & natura victus, in eum satis liberaliter sumptum facere cœpit: nam perceptis literarum elementis amplius erudiendum Heltprunnæ, deinde Heidelbergæ aluit: vbi eos progressus fecit, vt natus annos non amplius duodecim, tolerabilem versum scriberet: biennio post baccalaurei, vt vocant, honorem obtinuit. Nec minùs illa ætate in religione & vitæ innocentia fecit operæ precium, quàm literis. Posteaquam adeptus est magisterij titulum, Bononiam concessit, auditurus nescio quem iuris professorem, tum arcem existimationis obtinentem, patri in hoc obsequens. Sed intra semestre tempus, partim valetudine cœlum Italicum auersante, partim quòd mercator cui parens pecuniam,

PER VVOLFGANG. CAPITONEM.

pecuniam, quo illic viueret, reddendam crediderat, non satis ex fide egisset, coactus est ad suos redire. Repetit Heidelbergam, posthabitis legibus ciuilibus audiendæ Theologiæ se mancipauit, admissis in partem, vt vocant, literis humanioribus atque linguis eruditis: nam ciuiles controuersia minores videbantur, quàm quæ celsitudinem animi illius decerent. Eo flagrabat cognoscendæ veritatis desiderio, vt quæstionum & sophismatum inanium odiosis tædijs non auerteretur, quæ ferè ingenia liberaliter instituta à sacris literis vel obiter gustandis deterrent. Post Thomam verò, Richardum inter scholasticos præcipuè amplexus est. Gersonem trinit non indiligenter, quòd is videretur ad alendam pietatem comparatior. Scoti acumen neglexit. Neque æqualium more ad singulas argutias attonitus hæsit, sed ad summam eius professionis auidus properabat. Cum paucis de profectu studiorum suorum conferebat, iniquior theatralibus istis disputationibus, quæ ad superbiam, ad rixas, ad supercilium, adolescentum ingenia multa corrupere iam seculis aliquot. Semper fuit rei literariæ quàm parandæ famæ eruditionis expetentior, idque præter ætatis illius lubricæ ingenium, & absque instituto præceptorum. Dixisses alumnum sacrae veritatis, non stultorum magistrorum discipulum. Adeò pro captu ætatis consilia omnia huc contulit, vt veritatis literatæ conscius atque domesticus fieret. Quo factum, vt eruditionis & virtutis laude apud optimum quemque tacitis suffragijs adficeretur. Hac fama illectus illustrissimus princeps Philippus Palatinus

DE VITA ET OBITU OECOL.

Palatinus elector, liberis suis natu minoribus institutorem eum præfecit. Hinc illi aditus ad summa comoda euadendi patuisset, si splendorem & strepitum huius seculi amasset. Verùm aliud vis animi tam diuini, & ad iuuandam pietatem nati persuasit. Itaque quamprimùm licuit aulæ valedicens, ad pia studia prosequenda sese iterum abdidit. Tandem quia parentibus, vt erant vehementer pij, animus erat, in Deum & in hunc vnicum Filium facultates suas omnes conferendi, quòd nulla amplius cura posteritatis tangerentur, ex eo quòd ille esset valetudine imbecilliore, & omnino profiteretur Ecclesiasten eximium, ipso autore sacerdotium facultatibus suis in patrio oppido instituerunt, cui concionandi munus coniunctum esset, ad id præcipuam prouentuum partem conferentes: quod quidem ob id Filio primum committitur. Cui cum sesquimensẽ præfuisset, impetrauit Heidelbergam redeundi veniam, gratia adaugendi cultum ingenij, qui sibi ad sacram hanc prouinciam, quam semper maximi reputauit, nondum maturus videretur. Prius tamen Tubingam adiit, & Stutgardia Capnionem, illis temporibus in linguis doctissimum conuenit, à quo gustum qualemcunq; Græcarum literarum intra paucos dies cepit: quem breui ad eò ex multis, vt dicitur, magistris prouexit, vt Heidelbergam reuersus, Grammaticam, cui titulum fecit Dragmata, conscriberet, quæ postea est ædita: simulque Hebræa à quodam Hispano eodem temporis spacio didicit, quo & ego antehac vsus eram præceptore, etsi infelici & inuidente nobis cognitionem sanctæ linguæ. Illis temporibus, concionibus sacris

ego

PER VVOLFGANG. CAPITONEM.

ego Bruchsellæ præfui, obnoxius & aulæ Episcopali, cuius nomine aliquoties adeunda mihi Heidelbergæ. Ex quo tempore mutua inter nos officia non parua intercesserunt, absque suspitione abalienati animi vsque in hunc diem continuata: nam alter alteri consiliorum omnium vel socius, vel autor fuit: nisi dum ille vitam monasticam, me fortiter dissuadente, statueret periclitari. Quin mortuum eodem amore & nunc prosequor, quem Christo adiutore in liberis eius, quos alendos suscepi, declarabo. Visum est autem ad partes muneris sui obeundas domum rediret, ne quid conflictu vanorum ingeniorum, quæ gymnasia publica plurima nutriuerunt, contagij contraheret. Interea ego Basileam, vt illic sacris concionibus præessem vocabar. Ille autem patriæ suæ, cum omnium verè spiritualium & eruditorum admiratione Christum prædicauit, quanquam adhuc multa veteris superstitionis admixta essent. At sæuerus nimium concionator audiebat, quia aures vulgi insanis clamoribus non percellere, neque infacetis facetijs actionem sacram exhilarare, quem admodum tum solebant mendicabula ista monachorum. Modestiam enim & sanitatem dicendi semper amauit. Quæ iniquitas iudicandi illi causam dedit, vt ad me de risu paschali scriberet libellum, animum eius vt tum erat feliciter experimentem. Sunt enim anni opinor vnde viginti. Equidem verò non omisi mouere omnem lapidem, donec ad me hunc studiorum & religionis sodalem, Basileam vsque pertraherem, indignum ratus, vt in angulo patriæ suæ tam angusto, tanta spes publicæ pietatis concluderetur.

DE VITA ET OBITU OECOL.

retur. Effeci tandem, vt per Christophorum ab V-
tenheim Episcopum illò vocatus, parœciæ primi
templi præficeretur. Attulit secum sex tragœdias
Christianas, argumentorum non commemini: vnum
erat de virgine Deipara, si non erro: quas legerunt
eruditi, & eorum gustui satisfaciebant. Scribendo in
vtraque lingua versu plurimus fuit. Argumenta ta-
men tragica nondum ad gnomonem fidei correctæ
erant, quod summa cum moderatione & cunctanter
admodum à receptis erroribus discederet, magis ne-
cessariò pietatis iudicio, quàm temerarijs aliorum
adfectibus parens. Quod in causa, quo minùs ede-
rentur. Sub idem tempus, cùm primùm Erasmus
Roterodamus, Noui Testamenti Annotationes edi-
turus, Basileam venisset, Oecolampadium in partici-
patum sanctissimi operis acciuit. Opera enim sub-
sidiaria illius (vt inquit idem) non solùm pietate, ve-
rumetiam trium peritia linguarum eminentis, adeo-
que veri Theologi se adiutum esse, ingenuè fatetur.
Admiserat enim doctoris Theologi titulum, com-
pulsus ab amicis, quibus tantæ luci illud plebeium
ex nomine lenocinium adijciendum videbatur. Tem-
pus erat, vt Dominus hæcenus instructo formatoq;
vteretur: eoq; vocatur à Canonicis primi templi
Augustani, vt concionibus illic sacris præfret. At-
qui nondum maturuerat messis Christi, neque dum
alba ad messem seges Euangelica, vitaq; cum vul-
gi tum Ecclesiasticorum corruptior, quàm quæ me-
dientis manum ferret. Inde secedendi consilium ca-
ptauit. Est autem in vicinia vrbs Augustanæ, intra
secundum opinor lapidem, monasterium D. Alto-
nis,

PER VVOLFGANG. CAPITONEM.

nis, vbi conuentus Monachorum opinione pietatis & rectoris religionis commendati. Institutum diuæ Brigidæ profitentur. Quorum more, cùm propiùs explorasset, illorum contubernium adiens studijs suis & fidei libertatem ab illis stipulatus est. Quòd his verbis antè contestatus est: Etiam si sexcentis, inquit, iuramentis me obstrinxero, nequaquam ea seruare potero, si quando vtilis ministerio Verbi futurus sum. Eam conditionem non reijciabant Monachi, sed confirmabant, priuilegiumque suum monstrabant, quòd ad concionandum exire possint, sicubi hæreses pullulent. Id verò transactum est, Episcopo Frisingensi vehementer applaudente, qui virum ob doctrinam eximiam & religionem singularem à multis annis colebat. Huic ego consilio toto corpore sum obluçtatus, id veritus quod euentus postea declarauit, non inuenturum adoptatam studijs quietem, neque libertatem seruiendi proximo & Ecclesiæ Christi. Iam in hoc instituto cùm esset, præter conciones certas quas edidit, scripsit etiam de confessione librum, quo magis pium, hoc minus ceremoniarum nundinatoribus ferendum. Huius enim occasione Glapio Franciscanus, qui tum Cæsari Carolo à confessionibus, ingens viro periculum creauit. Agebantur tum Comitia Vvormatiæ. Hac de causa sollicitantibus amicis, & consentientibus fratribus qui in eo cœnobio, tutò discessit. Rumor antequam euaderet periculum, inualuit, coniectum esse in vincula, quem constanter nobilis & eruditus quidam canonicus Augustanus ad me, in aula Maguntina, Hallis Salis Saxonie agen-

DE VITA ET OBITU OECOL.

agentem scripsit. Conuentus enim Vvormaciensis superioribus mensibus dimissus erat. Continuo ego, ceu priuata & domestica curaturus, venia duos menses discedendi impetrata, me in equum conicio, appropero Maguntiam, illinc pertentaturus rationem commodam liberandi fratris: & actu tum ingressus ædes paræci hospitis mei, Oecolampadium cum Casparo Hedione colloquentem, præter expectationem inibi deprehendo. Iuuat meminisse quo animi gaudio vterque perfusus, nos inuicem excepimus & consalutauimus: nam quatuor anni erant, quod Basileam ille reliquerat, neque interea coram conueneramus: & mihi sic erat persuasissimus arctissimis custodijs & vinculis illum detineri. Verùm mihi tribus vt minimum equis & ministris duobus per illos duos menses, Argentinæ, Basileæ, & sub itinere in publicis diuersorijs, meo sumptu viuendum, donec ad principem, vt condixeram, Nurnbergam redirem, vbi tum conuentus Principum indictus erat. Concessit inde ad Heroem illum incomparabilem Franciscum à Sickingen, apud quem Missam repurgare cœpit, & vertit ex Chrysofostomo Psegmata. Vbi autem vir ille infelici bello implicitus (qui planè dignus) cui pax diutina cum summa potentia contigisset, ad eò iustitiæ, religioni, literisque prouehendis erat addictus, Basileam concessit, æditurus quæ apud hunc parauerat. Ibiq; Senatu volente, vtcunque reclamarent Sophistæ publicè Esaiam prælegere cœpit. Mox petente id paracho ad D. Martinum, pro eo functus est concionandi munere: magna quidem Papistici gregis inuidia: sed

PER VVOLF GANG. CAPITONEM.

sed vicit tandem is quem purè prædicabat, Christus. Itaq; annos quinq; sine legitimo stipendio vel paræci, vel concionatoris, Christū docuit. Eodem deniq; tempore Chrysoſtomū in Genesim, & Theophilactum vniuersum Latinos fecit. Orta disputatione de Sacramēto Eucharistiæ, rogatus à multis sententiam, modestissimè tandem pro Patrum sententia pronunciauit, quam bona fide adduxit. Cùm verò istuc non ita ab alijs acciperetur, vt is scripserat, enata est dira quædam conflictatio. Sed facilè videre est, quid spectarit quæsieritque hic vir: nihil sanè minus, quàm Ecclesiæ turbationē, aut veritatis obscurationem. Interea, cùm inualesceret veritas in Heluetijs, per Fabrum & alios disputatione publica, de primis capitibus religionis nostræ indicta est, quibus de controuertebatur: per primores Heluetiorum, autoribus tamen Fabro & Eccio, vt fama tulit. Ad hanc fidem quidem publica, sed tamen non sine grandi periculo venit. Cùmq; Zuinglius adesse nec vellet, nec à suis permetteretur, quod longè alia ab hostibus capta consilia crederentur, quàm sola disputatione rem transigere: vnus causam veritatis sustinuit contra acerrimos atque exercitatissimos huius hostes, qui illuc magna frequentia confluxerant. Qua religione, quaq; dexteritate id fecerit, præter acta ab hostibus etiam edita, pluri mi hodie fide dignissimi testantur. Post annum & Bernensi disputationi ac reformationi operam suam egregiè nauauit, quorum & ipsa acta à iuratis scribis congesta, toti orbi præbent testimonium. Non diu pòst, cùm Basileæ quidam de Senatu & plebe, ijs quæ pro puritate Euangelij pridem in ea repub. legitimè statuta erant, nimium audacter priuato ausu aduersarentur, & quæ publici-

DE VITA ET OBITU OECOLAMP.

publicitus pacta, priuatim rescinderēt, motu illic exorto, rursus, ea quæ pro religione prius decreta iuxta verbum Domini, tam in vrbe, quàm in agro huius Reipub. reformata & stabilita sunt. In quo motu nemo, sicut antehac, quicquam designauit insolentius: nam vt plebs manu nihil tentauit, nisi quod idola quædam, & quæ ad superstitionem prostabant, temerè per quosdã deiecta sunt: ita Senatus edicto cõposuit & instituit omnia. Id. autem grauissimi huius viri ad modestiam, obedientiã & pacem cohortationibus bona parte confectum est. Paulò pòst & restituendæ in illa sua Ecclesia disciplinæ Ecclesiasticæ, censuræq; excõmunicationis autor fuit. Mox accersitus Vlmam cum Ambrosio Blaurero & Martino Bucero, salubri consilio ei Ecclesiæ adfuit, vt ad Euangelij gnomonem Ecclesiastica omnia exigerentur. Reliquum vitæ tempus in huiusmodi sanctissimè institutis tuendis ac prouehendis, cum scribendo, tum prælegendo, tum varijs per Germaniam Ecclesijs consulendo, insumpsit, vt multorum qui nolunt Christum super se regnare inuidia, ita fructu ampliss. & gratia apud bonos summa. Hunc vitæ cursum tenuit perpetuò vir sanctiss. verum, simplicem, syncerum, aptum pietati, appositum iuuandis hominibus, promouendo regno Dei, impugnando Satanę molimina. Illa eadem ratio morienti per omnia constitit immota, certa, inuariabilis, Quia fundatus erat supra firmam petram, nulle tempestates quod inædificauerat, non dico non euertere poterant, sed ne labefactare quidem. Christum Iesum toto pectore spirauit. Hunc vnum scopum habuit cogitationum, actionum, dictorum & factorum omnium. Ad hunc vnum ceu cynosuram vela contraxit, laxauitq;

PER OSVVALDVM MYCONIVM.

xavitq; , prout nauigij Ecclesiastici ratio ferebat. Afflictos consolatione leuauit, pœnitentibus veniam obtulit, laborantibus & in via oneratis Christum eundem refectorem exhibuit, lapideis cordibus malleum iræ Dei admouit. Nec amplius quàm tempus Ecclesiæ quoduis poscebat, exprompsit: prudens sanè dispensator, qui dimensum dominicæ familiæ, commodè partitus est. Que ratio ei constitit etiam Ezechielem tractanti. Quo tempore pro exteriori œconomia fuit sollicitior, vt falsa religione conuulsa in populo Christiano, iuxta verbum Dei vera Respublica constitueretur. Vale, & mecum ora, vt per Spiritum sanctum, quâ euasit Oecolampadius, & nos penetremus ad

Christum Iesum in regnum
Patris, Amen.